



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,
Academicarum Contemplationum Lib. X**

Piccolomini, Francesco

[Basel], 1590

VD16 ZV 12463

An dentur Daemones, sententia Plat. Cap. 3.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12918

An dentur Dæmones, sententia Platonis.

CAP. III.

Mirum profectò est, quomodo Peripatetici Dæmonicam naturam non concedant; cùm plurima opera nobis sese offerant, quorum causam conuenienter assignare non valemus, non potestis Dæmonibus; veluti, dum viri vulgares Dæmone correpti, Hebraicè, Græcè, & Latine loquuntur; res aliis occultas patefaciunt; adiurationibus varia efficere compelluntur: quæ sine Dæmone non efficerent. Ita quoque mira prisorum oraculorum responsa, secretorum revelationes, plurimæ solis verbis incurabilium ægritudinum curationes, historiarum variarum; tam manifestè Dæmones nobis patefaciunt, vt nil manifestius conspiciere valeamus. Asserere autem ea fieri, vel per bilem atram, vel per vim imaginandi, vel per varia habituum genera; vt asserit Aristoteles, & cum eo Póponatius, & alij nonnulli; delirare est: quomodo enim per humores, in imaginatione formari possunt rerum imagines, & idiomatica verba, & nomina, ex hominum institutione prodeuntia; quæ nunquam sub sensum illius hominis ceciderunt? Non enim ea in anima præexistunt; quæ, ex sententia Aristotelis, omnibus formis est denudata: nec per halitus, & humores manifestatur, cùm in eis non sint huiusmodi imagines; & præsertim rerum futurarum, & vocum ex hominum institutione

pen.

pendentium. Accedit, quod huiusmodi homines sæpe, immota lingua, & ore clauso loqui videntur. Insuper, oraculorum responsa ex Dæmonibus prodiisse, ex eo manifestè constat: quia post Christi incarnationem, oracula illa omnia evanuerunt: quod non contigisset, si ex causis purè naturalibus duxissent ortum. Præterea, prætermissa etiam auctoritate, experientia, & sensibus; si rationi credimus, cogimur ponere Dæmones. Et primò, cum in terra, & aqua varij viuētium gradus inueniantur; cum cælum viuat; inficiari non debemus, corpora intermedia animantibus esse prædita: sed rationi consonū est existimare, in eis eò nobiliora animalia reperiri; quò sunt eminentiora, & nobiliora postremis elementis. Tetigit hæc rationem Arist. in 3. de Gener. animalium: attramen Dæmones, qui ex ea colliguntur, minimè concessit; quoniam existimauit animalia cuncta in terris degere, ex principatu molis esse terrea; quod minimè necessarium est. Præterea, quoniam homo cum crasso corpore complicatus, longè distat à Deo; pro nexu necessaria fuit natura aliqua media, quæ extrema conciliaret: huiusmodi est natura Dæmonum; quæ tenuitate corporis, acumine ingenij, celeritate actionum, aliisq; conditionibus conuenientissimè mediat. Et præsertim dari debuit, quia mundus est specierum plenitudo; nullus gradus deseritur inanis; & quæ in eo fieri possunt ex attinentibus ad eius perfectionem, etiam

necessariò in eo sunt. His accedit, quòd eum in Deo, vt in principio, sit cura, & prouidentia communis vniuersi; in Mente solùm sit distincta prouidentia specierum; etiam debet dari natura aliqua media, ad quam pertineat cura, & prouidentia partium. Ad Deum, & Métem pertinet dirigere, & imperare; ad mediam hác Dæmonum naturam exequi, & perficere Iure itaque Plato Ægyptiorum Theologis, sensifius, & rationi credens, Dæmones posuit; in quorum notitiam interna quadam naturæ commotione perducimur. Eos religio omnis supponit; Prisci sapientes in eorum cultu plus æquo versati sunt; ter maximus Mercurius frequenter de illis loquitur; sapientes Ægyptiorum, ope Dæmonum admirabilia effecerunt; Quapropter Plato ex his plurima depròpsit, & splendidissimè suos libros exornauit. Ex qua Academicæ, & Peripateticæ sententiæ conspicua diuersitate colligimus, quàm longè illi à vero recedunt, qui in omnibus Aristot. cum Platone nituntur conciliare.

Quid sit Dæmon.

CAP. IIII.

A Calcidio in Timæum Platonis, ab Apuleio, & ab aliis, vario modo definitur Dæmon. Inquit Calcidius, Dæmonem esse animal rationis particeps, immortale, affectionibus animi obnoxium, corpore æthereum, curam hominibus imper-